



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput XXVII. Idem Episcopo a Cisterc. & de Alde, & de b Salen. Abbatibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

NOTÆ.

^a **A**rchiepiscopo.] Mauricio videlicet, qui antea fuerat Saiensis Episcopus, & postea Cenomanensis, & tandem decessit Rothomagensis anno 1232. ut refert Chenu in serie Præfulum ipsius Ecclesie.

^b **P**riore sanctæ Mariæ.] In ipsa urbe Rothomag. est monasterium canonicorum regularium sanctæ Mariæ, Ordinis D. Augustini, de quo Pennotus lib. 2. canonic. regul. cap. 34. num. 18. cujus Priori in præfenti rescribit Gregorius.

^c **Tiron.**] Alibi legitur *Turon.* alibi *Cisterc.* ut emendat Glossa marginalis: & legendum credo *Tironensis.* Tironense enim monasterium est Ordinis Cisterciensis, de cuius reformatione scripsit epistolam 31. Gregorius IX. in hæc verba: *Quatenus advocatis universis Abbatibus, & Prioribus sibi subjectis, infra festum omnium Sanctorum proxime venturum corrigeret, & reformaret, tam in monasterio Tironensi, quam in membris ipsius, & ceteris ei subjectis.* De eo Manrique tom. 4. annal. Cisterc. anno 1231. cap. 6. num. 9.

^d **Ministrari.**] Juxta tradita supra in c. exparte ii.

CAPUT XXVII.

Idem Episcopo a Cisterc. & de Alde, & de b Salen. Abbatibus.

Prælatorum excessus. *Et infra:* Sanè dilecti filii C. & quatuor alii Canonici Frisigien. denunciando monstrarunt, quod Frisigien. Episcopus bona sui Episcopatus (quem, ut dicunt, fuit minùs canonicè assequutus) adeò graviter dilapidat, & consumit, quod (nisi celeriter adhibeatur remedium) Episcopatus idem per eum ad irreparabile dissolutionis opprobrium deduceretur: nec solummodo rerum, verùm etiam famæ suæ prodigus, & salutis, vitam ducit enormiter dissolutam. *Et infra:* Discr. v. mandamus, quatenus personaliter accedentes ad locum, inquiratis sollicitè veritatem, & eam fideliter conscribentes, sub sigillis vestris nobis transmittatis inclusam. Eidem Episcopo terminum assignantes, quo nostro se conspectui repræsentet pro meritis recepturus: potestate ^d vendendi, dandi, infeudandi, seu quomodo libet alienandi bona ipsius Ecclesie, interim eidem penitus interdicta.

NOTÆ.

^a **Cisterc.**] Rectè in margine ostendatur *Cisterc.* cum in præfenti scribat Gregorius Cistrensi Episcopo, de qua diocesi egit in c. 2. de corpore vitiat.

^b **Salen.**] Salen, seu Salo Salomonis; vulgò *Salmens Vesler*, celeberrimum Cisterciensis Ordinis cœnobium est in Alemania, Constantiensis Dioceseos: primùm à Guntramo Barone constructum anno 1134. deinde à Conrado, & Friderico primo Imperatoribus, & à Burchardo Archiepiscopo Sa-

lisburg. liberalissimè ditatum, ut refert Bucelinus *Germania sacræ part. 2. fol. 78.*

^c **Frisigien.**] Geraldus videlicet, qui præfuit ipsi Ecclesie per undecim annos, ut refert Bucelinus tom. 1. *German. in serie Episcop. ipsius Ecclesie.*

^d **Vendendi.**] Etiam cum solemnitate præscripta in cap. nulli, de rebus Ecclesie: nam hoc speciale est in crimine dilapidationis, ut lite adhuc pendente, Prælati suspectus de dilapidatione ab Ecclesia amoveatur, cap. licet Heli, de simon. probat Bernardus Diaz in praxi, cap. 71.

TITULUS II.

De calumniatoribus.

CAPUT PRIMUM.

Gregorius a Anthemio Subdiacono Campanie.



Um fortius punienda sint crimina, quæ infontibus, & magis sacratis hominibus ingeruntur, quam fitis culpabiles omnes, qui in causa Joannis refedistis, attendite, ut Hilarium criminatorem ipsius nulla ex diffinitione vestra pœna conveniens castigaret. Nec illud ad accusationem vestram credatis esse idoneum, quod vobis quasi judicare volentibus, solus frater, & Coepiscopus noster Paschasius dicitur distulisse. Nam si zelus in vobis rectitudinis viginisset, facilius uni à multis rationabiliter suaderi, quam multi ab uno poterant sine causa deferri. Quia ergo tantæ nequitie malum sine digna non debet ultione transire, supra scriptum fratrem nostrum Paschasium volumus admoneri, ut

D.D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

F

eundem